

Latein-Buchtipps

15. April 2008, 8:00 Uhr

Oriens Romanus

Inter Mare Internum et Tigrim fluvium



Michael Sommer "Der römische Orient Zwischen Mittelmeer und Tigris", Theiss Verlag Stuttgart 2006

Recensuit: Dr. Heinrich Fliedner

Hoc libro agitur de regione inter Mare Internum et Tigrim flumen sita, cuius magna pars propter siccitatem caeli agriculturam non admittit nisi irrigata. Qua de causa ibi vitae condiciones longe aliae sunt atque in Graecia vel Italia: multi incolarum sunt nomades, qui sedes certas non habent quorumque administratio populo alieno multo difficilior est quam agricolarum vel oppidanorum. Cave autem existimes de illis tantum temporibus agi, quibus ea regio sub imperio Romanorum fuit.

Non minus exponitur expugnatio Alexandri qualis fuerit qualiaque regna diadochorum, id est eius successorum, et quo modo Romani principatum ibi obtinuerunt primum, post autem provincias instituerunt, id est paulatim eas terras suae ditionis fecerunt. Quo facto ea regio diuturna pace fruebatur, agri irrigati sunt, ut incolarum numerus crevit, urbes florere coeperunt, aedificia et templa aedificata sunt pulcherrima.

Ea autem regio Parthorum regno finitima solam fere viam praebuit, qua merces luxuriosae terrarum orientis longin quarum velut aromata vel serica in imperium Romanum sunt importati. Qua re ea regio cultui orientali aditum patefecit ad occidentem et invicem. Talia et plura notitia digna auctor, qui in universitate studiorum Liverpoolensi docet res temporibus antiquis gestas, profert nisus investigationibus recentibus. Ea qui vult cognoscere, inspiciat librum ipsum, qui est instructus multis photographematibus et tabulis geographicis.

Sommer, Michael: "Der römische Orient.. Zwischen Mittelmeer und Tigris" Theiss Stuttgart, 2006, 36.00 Euro

[Der römische Orient](#) ➔

Zwischen Mittelmeer und Tigris

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/buchtipps/latein/sommerroemischerorient102.html>